

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843, enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von Bd. 2 des Autographs (19 555-2)	zu Bild Nr. 1005
	1003
	1009
	0999
	1014
	0994
	1054
	0954
	1104
	0904
	0504
	0004
	Ende
	Anfang
stat in Mauritania, alius in Hispania, et inter hos effluit mare mediterraneum per terrae medium. Hos montes asserunt esse columnas Herculis. Siquidem veteres quidam tradunt, hos duos montes perpetuo jugo fuisse junctos, nec mare mediter- raneum ex oceano emissum, sed monte continuo fuisse inclusum herculeaque virtute fuisse divisum, et ex oceano, quod ante non erat intromissum terris mare, quod postea in hodiernum usque diem mediterraneum dictum est, et ita angusto freto Europam ab Africa separasse. Et quia forte mons iste Arabiae similis est illi, qui est in Hispania, eodem nomine vocantur ambo. Est etiam in Sicilia alius mons, eodem nomine vocatus eadem ratione. Igitur monte Calpis posttergato et multo itinere die isto completo venimus in desertum, quod Arabes nominant Meschmar, et in torrentem aridissimum ingressi ibi exoneratis bestiis tentoria fiximus et cum multa difficultate parum sar- mentorum collegimus pro igne ad coquendum aliquid. Porro ad latus sinistrum erat mons candidus et altus, in longum tractum porrectus, non longe a nobis. Hunc montem solus adii, volens videre, quid tum in ejus radicibus esset. Inveni autem in eo multas magnas cavernas et specus ingentes, per fundum montis ducentes, locaque illa fuisse deprehendi me- tallorum antiquorum quae ut vidi, statim in mentem venit, quomodo multi sancti patres leguntur sibi mansiones elegisse in hujusmodi derelictis fabrorum habitaculis, ut S. Hilarius et S. Paulus, primus eremita, de quo Jerony- mus in epistola de laudibus eremi dicit, quod venit in deser- tum procul ad exesum montem, ubi inventus grandem speluncam lapide clausam, et remoto lapide animadvertisit intus grande vestibulum et forte, et desuper per petrae aperturam lucem, fueratque locus, in quo furtiva moneta cudebatur ea tempestate, qua Cleopatrae Antonius vincetus est; et prope id vestibulum haud pauca erant habitacula, in quibus erant scabra, etiam in- cudes et mallei, quibus pecunia signabatur. Sic et ego antiquas fabrorum inveni speluncas. (37a) In has cavernas quidem introspxi, quantum potui, sed ingredi non praesumsi timens, latere ibi nocivas bestias, nec erant cavernae illae a natura montis, sed opere humano effossae. Cumque mirans girarem, inveni cumulum vetustissimarum scoriarum, quae de metallis	